


DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUESTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ-octavâ mensis Februarii, Anno Domini M. DCC. LXV.

M. JOANNE-BAPTISTA BASSEVILLE,
Doctore Medico, Præside.

An quæ viris, eadem mulieribus conveniunt corporis & animi exercitia?

I.



ULIER divinitatis opus, humanitatis honos iisdem è principiis conflata quibus & mas, eodem quoque partu edita quondam, fuit æquè particeps ac ille corporis affectionum, nec animi dotibus ab eo degener. Inde vir feminâ non potior alter ab alterâ; quid in corde, quid in cerebro discrepat? In utroque nonne lien, hepar, pulmo, renes planè consimiles, frontis eadem dignitas, ossium cartilaginum par numerus? Vasorum propagines an aliis virile corpus, aliis muliebre succis alluunt? Hujus & illius animata compages an diversis movetur musculis? Numquid & ambobus & necessaria victûs & medicinæ communitas, æquale vitæ stadium, mutuos ad amplexus æmula propensio? Nec minùs utile quàm dulce connubium pulchrâ dum sobole facit utrumque parentem:

hæc grata nuptiarum meſſis eſt quam partitur cum conjuge conjux. Sic patrum in natos diviſum eſt cum matribus imperium. Inter ſe tam bene ſi conveniunt utriuſque ſexûs homines, an illa quæ viro concedis exercitia corporis & animi, mulieri denegabis?

I I.

MOTUS expers nulla corporis exercitatio. Hæc, ut ille, viris eſt familiaris ac mulieribus, natis coæva veluti naſcituris. Nonne fœtus, ſive mas ſive femina, ſimile ponit exercitationis tirocinium, dum concluſus in uteri latebris æquo pulſat pede viſcera parentis, nec impari calcitratu ſuum rumpit carcerem lucis uſurâ fruiturus? Annon & in cunis ſua peculiaris eſt infantulis exercitatio quæ cadit in utrumque ſexum? Quin & puellulæ, quæ factæ ſunt ætatulâ paulo provectiores, æqualibus cum pueris mille modis exercentur, choreis indulgent, ſaltationi, pilæ volatili concentibus, ambulationi. Annis poſt modum accedentibus, quot teneræ virgines, quot nuptæ mulieres, dum ſui juris ſunt, equitant ſeſſione maſculâ, venantur, natant, piſcantur; ſunt quæ ſub dio verſantur inter armatos ſexum mentitæ, quæ viris ipſis martios affundunt animos, quæ cum viris terram colunt, arant, fodiunt, quæ ſerunt arbores, metunt ſegetes, maritant vitibus ulmos. Gemunt aliæ ſarcinarum ſub pondere, ſudant, algent, aliæ pernoctant humi, totâ die pedites eunt redeuntque vias quàm longiſſimas. Tot exercitationum labores ferunt & utero gerentes, mox daturæ progeniem valentiſſimam. Deſinant igitur urbanæ mulieres exercitia præ graviditate recuſare, fugiant mollioris & umbratilis vitæ delicias fœtui ſimul & fœtu mala multa parituras. Nec aliunde fortaſſis eſt quod prægnantes olim matronæ ſuis ſtipatæ conjugibus dicata Junoni Lucinæ templa pedibus adire jubebantur. Numquid ut religionis ſic exercitationis ergò, ſancita lex iſta fuerat?

I I I.

QUOD ars Medica mulieribus imperat, docet idem natura belluas. Earum femellæ gravidæ licèt & ad pariendum vicinæ, nonne ſuos hìc & illìc errantes comitantur mares, Oves gradiendo, Cervæ paſcendo deponunt fœtus abſque moleſtiâ? Sua piſces agitanda profluenti tradunt ova; ſua quoque verſant identidem vel incubantes oviparæ. Quid quod aves cum maribus plurimæ ſummis nidificant in arboribus, ut in nido, velut in penſili lecto, pulſata flatibus ova venti motum ſequantur; adeò verum eſt animal omne motu generari, motu conſervari. Hinc in hominum genere quiſquis ad exercitationes erit impiger, erit &

ille sanitatis integer morbique purus. Et quidem, labore si dissipantur humores qui superfluunt in corpore, humorum redundantiæ si mulierem magis quàm virum putas obnoxiam, feminis ideò laboriosiora quàm maribus, aut æqualia saltem præscribes exercitia. Eâ sanè de causâ quot infirmos homines utriusque sexûs invenias & in tenui panno, & in purpurâ decumbentes, qui feliciter uno eodemque tempore convalescunt, dum languida similibus committunt exercitationibus corpora? Quoties viris ac mulieribus in ultimas quondam terras simul exportatis utile fuit exilium secundæ valetudinis recuperatione, quàm siccatis antè à bene multis pharmacorum calicibus assequi non potuerant.

IV.

UT corpori sic animo sua sunt exercitia. Agitationes animi quis non sentit in exercitationibus ingenii, quis variis in affectibus, quis in cogitationibus non deprehendit? Hæ sunt exercitationes animi, hæc curricula mentis æquè nota viris ac mulieribus. Reverà si sexu carent animæ, si nec origine, nec agendi ratione dispares, cur in mare, cur in feminâ diversis illæ motibus cierentur? Vis illa mirabilis quâ diriguntur in utero molis humanæ primordia, cur in utroque sexu similes ad informandos fœtus ingenii non aptaret cerebri loca quæ frequentat animus? An alius in viro, alius in muliere typus hominis? Uterque nonne conditus ad Creatoris imaginem, nonne rationis compos & intelligentiæ? Proinde politicarum rerum sicut & artium liberalium cognitio feminis non minor quàm viris, quasi patrimonii loco, relicta est. Eas si plerumque lex removet à publicis & civilibus officiis, àn quia legis auctores sunt viri, qui regiminis & imperii sui socias mulieres non ferunt, non patiuntur haud ignari; quid ubique femina possit? Nimirum cum semel est admissa mulier in optimatum conciliis, omnium sæpè voluntates & studia rapit ad se necessitate quâdam amabiliter imperiosâ, persuadet si proponit, impetrat si petit. Demùm quid hominum mentes acuit & exercet solertiùs, quid edaces eorum curas fallit ingeniosiùs, quàm cordatæ mulieris blanda collocutio? Si quos pietate graves, si austerè ac religiosè degentes viros hodiè suspicimus, veneramur, quàm frequens adhuc est chorus virginum in eodem sanctitatis curriculo unà desudantium quas laudare facilius est quàm imitari. Annon & suis gloriatur hæc ætas mulieribus quas ut viros expolivit urbanitas, ingenii perspicacitas erexit, prudentiæ maturitas informavit? Nec desunt qui Picturam profitentur, Poesim callent, Historiam tractant, Mathesim, Philosophiam. Extant &

feminæ principes quæ mari, terrâ, domi, militiæ, populos sapienti regunt imperio; quæ gentium, quæ Regum lites ac jurgia componunt. Ecquis posthàc non intelligit mulieres sapienter cogitare, cogitata utiliter exequi? Quis utrique sexui datos à Deo similes non agnoscit igniculos, quibus vir & mulier ad summa quæque certatim evehuntur, quoties ambobus eadem licuit exercere studia disciplinarum?

V.

SI feminei corporis teneritatem objicis, si sustinendis virorum exercitationibus parem negas, complures diversi sexûs homines paululùm circumspice, delicatulos totidem numerabis viros quot & feminas; utrosque tamen observabis ad exercitia passibus æquis & animosè concurrere, si teneris ab annis ignaviam fugerint iisdem paulatìm assuefacti laboribus. Sic molle puellarum corpus ordinata firmat exercitatio. Imò, robustum, licèt natura virum finxerit, is tamen suas brevì sentit vires languescere, nisi frequenter exerceatur. An quoniam velut exercitatione citiùs amandantur è corpore viles alimentorum reliquiæ, similiter inertiâ retinentur sanguinis & spirituum commeatui moram allaturæ, undè corporis & animi stupor otiosorum hominum commune stipendium: cur non paucas affligat feminas hæc invaletudo, haud aliam suspicari causam licet nisi desidiosum vitæ genus, ad quod illæ sæpiùs à viris se damnatas esse conqueruntur, an jure vel injuriâ pronunciet qui noverit utriusque sexûs æqualitatem? Non itaque nata mulier ut in umbrâ parietum domestica tantùm curet negotia, non facta conjux ut in solis hæreat mariti complexibus, sed ut etiam cum viro cætera corporis & animi dividat exercitia, quibus illum non imparem docet ratio, confirmat experientia.

Ergò quæ viris, eadem mulieribus conveniunt corporis & animi exercitia.

Proponebat Parisiis CAROLUS-NICOLAUS D'ESLON, Tullensis, Doctor Pontimussanus, Serenissimi Principis Comitis regnantis Limburgii Consiliarius Medicus, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1765, A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis F. A. QUILLAU, Universitatis & Facultatis Med. Typographi. 1765.